



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Juno conservatrix.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A visere contentus: quamvis esse scio, qui factum hoc ab eo dicant, quod gravem esse provincia- libus comitatum Principis etiam nimis parci existimaret. Diodorus autem licet alia quoque Ser- pentis significata commemoret, quin tamen & imperium ex ejusdem animantis pictura intelligi possit, nequaquam inficiatur. Quidam hominem regni potitum hieroglyphice ita describunt, ut eum manu Serpentem comprimere indicent, cujusmodi simulacrum est in numo Aurelii Cæs. Aug. Pii filii, in quo sigillum est, Serpentem a medio manu tenens, admoventem caput dexteræ cibum porrigenti.

Nimus Au- relis Cæsa- ria.

OSCUS. CAP. II.

MANETHON Ægyptius auctor, quisquis ille fuit, ait Oscum, qui Tyrrenis imperavit, in signe Serpentis habuisse, Ocosq; ait Servius populos dici, ubi plurimum Serpentes abundant, in Campania quippe. nam Oscum hunc ajunt coloniam eo transmisisse, Hetruscis tunc Italia fere totius rerum potentibus, urbemq; in ea regione longe principem, ab aurigo accipitris, quem Hetrusca lingua Capym appellabant, nominasse, ut scriptores quidam vetustiores memoria prodiderunt: licet tempore succedente creditum sit, eam ita a campestribus locis nuncupatam. Poeta vero Hecataeum secuti, eosdemq; Hecataeus, Capym Trojanum virum urbis authorem fuisse tradunt, & ab eo nomen. Sed hæc utcumq; fidem faciant (in nulla enim magis authores diversi abeunt, quam in urbium originibus repetendis, dum Græci sibi omnia adscribunt, Latini sua possidere contendunt, nationes plaræq; aliæ non ignobiles esse volunt) satis constat Oscum, Ægyptiorum principum more, Serpentis in signe gestasse, & Ocos ejus colonos inde nuncupatos. Oscus dubio procul Hetruscum nomen est, & apud eos ad hæc usq; tempora Viperæ Oscorzones appellantur, si modo Vipera Serpens ille sit, qui tota Venetia vulgo Marassus dicitur. Et sacra apud nos literæ Serpentem principis elogio nominarunt, dum ait assertor noster, fore, ut hujusmodi princeps foras ejiciatur, cum de diabolo loqueretur, qui per Serpentem multis in locis utriusq; institutionis nostræ figuratur. Hanc interpretationem D. Ambrosius è nostris nequaquam aspernatur.

Osci populi, & Capys urbis regio. Capys accipitris.

JUNO DOMINA. CAP. III.

ET indicandi domini causa, in Junonis quoque dextera Serpentis caput statuebatur, in læva vero lapidem sceptrum: cum Juno ipsa domini præles apud gentes haberetur, incederetque, ut ipsa de se apud Virgilium dicit,

Entid lib. 1

— Divum Regina, Jovisque Et soror, & conjunx.

JUNO CONSERVATRIX. CAP. IV.

Nam in Julia Mameæ Aug. numo simulacrum est in sinus fluentes collectum, læva hastæ adnixa, dextera Anguem in spiras convolutum porrigente, ubi Anguis omnino imperium, hasta Defensionem indicat: quod ut conjiciam facit inscriptio, quæ in hunc modum legitur, JUNO CONSERVATRIX.

Julia Mameæ numus.

ORBIS DOMINIUM. CAP. V.

Serpentes quoque Leonibus, qui Opis deæ simulacro apponebantur, adjuncti terrarum orbem, vel orbis ipsius dominium significabant. Argutum vero dictum apud Græcos contra potentiores civili quodam libertate jactari solitum, ὄφεις, εἰ μὴ Φάλην ὄφιν, δρεχάν τ' γενήσεται, hoc est, Anguis, nisi Anguem comedat, non fiet Draco. Nam inter Serpentum genera Dracones ii vocantur, qui corpore sunt immaniore, vastioreq; magnitudine, tametsi pro quocunq; Angue plerunque nomen hoc autores usurpant. Quem igitur Imperatorem statuas, eo adagio, ajebant illi, ei necesse esse Reges & Principes multos deglutire, ut ita Rex regum fieret & dominantium dominus.

Dictum in potentiores. Ab Erasmo ad verbum. Chil. 3. cen. 3. prob. 61.

IMPP. DUO. CAP. VI.

IN Græcorum etiam numis dominium per Serpentum effigiem significari observavimus: nam in numo quodam videas Serpentes duos ad femicirculi curvaturam invicem spectantes caudis introrsum incurvatis; cujus inscriptio dominium penes duos esse demonstrabat: ita enim habebat, ΔΤΝΑΡΧ. ΕΕ ΤΠΑΤ. Β. Quod ita apertius exprimitur, διωαρχία ἐξ ὑπάρτων δύο.

Græcorum numisma.